



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II. De Ignatio Loiola, Societatis Iesu Auctore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

fede hæresin ad inficiendam terram erumpere permittit, quin eodem tempore salubrem aliquam plantam produxerit, cujus succo contra pestiferum ejus venenum uti ac præservare nos possimus. Sed apertius, & sine metaphora loquamur. In eo admirabilis Dei providentia elucet, quod quanto hæreses magis invaluerunt, tanto fortiores Antagonistas excitavit contra Albigenes, (a) quorum reliquia adhuc extant, Deus beatorum illud par S. Dominicum & S. Franciscum misit, utrumque magnum magnæ religiosæ familiæ conditorem, quorum ope & ægrotæ animæ sanarentur, & ceteræ à contagione præservarentur. Certe omnes auctores unanimi consensu prodiderunt, à duobus his Christianitatem ab interitu vindicaram. Deus ajunt, voluit, ut sub Innocentio innocens nasceretur, qui sponsa sua innocentiam defenderet: Et alius qui ab illorum ævo non procul absuit, ac ipse nihil aut parum religionis habuit, Nisi Christiana religio, inquit, à S. Francisco aut S. Dominico in pristinam integritatem fuisse restituta, jam dudum plane esset extincta. Hi enim duo paupertate & vitæ Jesu Christi imitatione, eam cordibus hominum rursus insculperunt, in quibus omnino fuerat obliterata. Duo hi pauperes Innocentio Pontifici in visione quadam apparuerunt, D. Joannis Lateranensis Ecclesiam, quam in somnio ille ad ruinam inclinatam viderat, manibus suis sustentantes.

Sic eo tempore quo Manichæorum & Pelagianorum hæresis Mundum tenebris involvit, à Deo præclara illa Ecclesiæ lumina accensa sunt, S. Ambrosius & S. Augustinus, qui errantibus facem præluerent, & Ecclesiam perpetuo lumine illustrarent. Sic idem B. Cyrillum Nestorio, B. Hieronymum Joviniano, S. Athanasium, S. Basilium, utrumque Gregorium, in Oriente, in Occidente S. Sylvestrum, S. Martinum, S. Hilarium Arrio ejusque sectatoribus, qui magnam Regum, Principum & Episcoporum partem laqueis suis irretierant, opposuit. Hi cælitus tum missi Aesculapij languenti atque adeo animam agenti Catholicæ Ecclesiæ salutare pharmacum propinarunt, ac salutem restituerunt. Eodem plane modo eo tempore quo Lutherus abjecto cucullo ex optimo genere hominum nempe Religiosorum ordine decidens, ut stella non se tantum, sed alios quoque contra Deum & Ecclesiam armavit, Deus ex altera parte ex deteriore hominum genere nempe militari hominem excitavit, qui deposito sago, religiosum habitum assumeret. Hic ille est quem sub nominis Jesu vexillo Deus oblectæ suæ civitati in subsidium misit, ut eam non solum ab in-

fidij & stratagematis hostium contraque eorundem assultus defenderet, verumetiam in hostes ultro irrueret, machinas eorum corrumpere, propugnacula dejiceret, cuniculos everteret, hostibusque depulsis profugos intra muros Ecclesiæ ab eis desertos reduceret, & ex persecutoribus defensores, ex hostibus redderet cives.

Hoc feliciter præstitit Ignatius Loiola, tam nobilis & validi exercitus, qui per totum terrarum orbem in manipulos dispersus, sub Jesu nominis vexillo hæresi continuum bellum facit, & Christianum nomen ad extremos usque terræ limites profert, dux & primus imperator. Anno MDXXI. Lutherus D. Petri Sedi & Vicario WORMATIÆ sese tandem resolvit publicè coram Imperij Confessu maximo quod hæresim amplecteretur, dicens se nulli Concilio acquiescere vel Papa nisi Solus scripturus. (b) Ibi igitur post minores prolationes contra Ecclesiam ei nefarium bellum indixit ac paulo post mense junio cum dæmone, ut ipse scribit (c) congressus ei cedens falsus est non esse Sacerdotium nec sacrificium in Ecclesia Christi eodem anno Ignatius mense junio Francorum tormentis Pampilonæ verberatus vulneratusque in lectum doloris dejicitur, & lectis de imitatione Christi: & S. S. libellis conversus ad meliorem vitam, S. Petrum tamquam patronum & præcipue venerari cœpit & experiri. Ille D. Petri Vicarium invidiæ suæ atramento scædum in modum deformabat; hic eximio carmine seu cantico divinas eius laudes exornabat quod quidem Ignatij primum omnium fuit opus: omitto cætera ex vita Lutheri & Ignatij acta actis opponere, velut opus grande illud solum innuo, quod hoc diviniæ tam sapientiæ quam omnipotentæ non vulgare sit opus, quod in hac immensa mundi familia inimicas sibi que mutuo infensas creaturas nasci vult, ita tamen, ut si opus, ab una contra alteram remedium peratur ad hominis utilitatem, & diviniæ gloriæ manifestationem. Sic videmus Lutheranorum factionem & Jesu societatem uno fere eodemque tempore extitisse, finibus plane contrariis; illos ad devastandam; hæc ad defendendam & amplificandam Ecclesiam. Et utrique in una quidem, sed contrariis plane radicibus prognati familia, fructus etiam plane diversos ac contrarios pepererunt. Societatem illam quis non dicet auxiliarem esse manum à caelo contrariorum Senacharibum submissam? quam etiam firmiter sperandum

(a) Vita S. Dominici. Annal. Eccles. (b) Vlenberg Via Luth. Cap. 6. num. 3. Bzovius in Annal. Surius &c. (c) Lib. de missu Angulari Serarius de Magistro Lutheri &c.

dum est, non prius defecturam, quam omnes haereses sint extinctae. Divinitus ad hoc missa est haec Societas, ut Mundo felicitatem, Ecclesiae salutem, sibi gloriam pareret & adferret. Sed primam ejus originem inspicimus, initio, ut omnia, exigua, sed quae paucis annis per totum ferè terrarum orbem diffusa est, & sua magnitudine (quod absque injuria ceteratum dictum velim, ut quae & ipsa suum quoddam fatum & tempus habuerunt, atque etiam honorabilem suum quaeque tenent in Ecclesia locum) omnes religionum familias sive Ordines, qui umquam in Christianitate fuerunt, superavit.

V. Ignatius Loiola, Societatis huius auctor atque institutor, nobili loco natus est A. 1492. memorabili rebus mirabilibus natura insitam animi generositatem nactus in ea Hispaniae seu Cantabriae parte quae Guipulcoa vulgo vel Provincia dicitur. Puerili aetate transacta, in aulam Ferdinandi Regis à parentibus missus, sic inter delicias Mundi versatus est, ut omnium quae aetas illa & vitae consuetudo fert, vitiolorum imperum fortiter perferret, neque vel transversum iugum abripi se pateretur ad viles res, sed in omnibus certissimas innatas virtutis & pietatis notas praeseferens, iam tum magnum quid & singulare promittere videbatur. Solet enim Deus eos quorum opera ad rem quampiam insignem usus est, mature divina sua gratia illustrare, & deinde per omnem vitam deducere ac comitari. Et in hac quidem schola non effeminatus aulicus, sed fortis miles evasit; cuius virtutis specimen mox edidit. Vix enim per aetatem armis ferendis idoneus. Pompeiopolim à Gallis obsessam fortissimè propugnavit, suoque exemplo ceteros militiae praefectos iam deditionem facere cogitantes, ad fortiter sustinendam impressionem animavit, donec aenea pila crus eius dextrum confregit, sinistrum lapis muro excussus laesit.

Ignatio prostrato, reliqui eius casu perterriti tanto facilius ad deditionem faciendam sunt inducti. Galli vero Ignatium humiliter habitum, non multo post ad suos dimiserunt. Interea quum in lecto partem anni iaceret, essetque in profanis libris legendis avidus ad doloris oblivionem iussit sibi aliquem eiusmodi librum dari cuius lectione tempus falleret. Quum alii ad manum non essent, puer boni cuiusdam Angeli instinctu duos ei porrigit, quorum alter Christi Salvatoris alter Sanctorum vitas continebat. His ille legendis, Dei in creaturis admirabilia opera, quae mira quadam varietate ibi depicta videntur, contemplatus, & eorum qui Mundi vanitatibus dediti, perpetuis curarum fluctibus agitantur, infelicitatem

considerans, vitam commutare, & relicto saeculo, caelo se devovere constituit. Ex quo apparet, brevem calamitatem nonnunquam perpetuae cuidam felicitati viam sternere aditumque aperire. Simili inspiratione duo Imperatoris Theodosij Nobiles aulici, S. Antonij vitam legendo, è Mundi militibus, Jesu Christi milites facti sunt, & relicta aula, in solitudinem, ut liberius Deo ejusque cultui vacare possent, se contulerunt. Ignatius sancta hac inspiratione quam libri illius lectio pepererat, diu nocturne agitato, quam primum è vulnere convaluit. Mundi jam peractus, quem tamen vixdum xxx. annos tantum natus salutaverat, amicos in visendi praetextu, *de domo (a) & cognitione sua, adeoque de seipso egressus est.* Anno 1522, initio veris & recta Montem Serratum, apertissimum devotioni & miraculis valde celebrem locum, profectus, dimissis in itinere duobus famulis, ne quem vitae suae austeræ praeter Deum haberet testem, E via mendicorum pannosumque hominem adit, suas vestes sibi detractas illi dono dat, ipse vero optato illo suo vestitu, quem ante sibi paraverat, induit, gladium vero & pugionem ante aram beatissimae Virginis appendi jubet; deinde noctem illam ante aram procnubens, in somnum traducit. Sic novus Jesu Christi miles cilicio indutus, cineribus conspersus, jejunijs & vigilijs confectus ad religiosam peregrinationem se praeparabat, Dei opem assidue implorans, interea dum furiosus Lutherus longe diversa agitans à Deo recedendo quantum ille accedebat. Siquidem eodem plane Anno & mense quo Ignatius de saeculo exiit Manrethanum in recessum sanctum, Lutherus à suo Alstetensi seu Wartbergensi Patrono redijt Wittebergam ad operanda mala quae deinde gessit. Ex Hispania Ignatius in Italiam profectus est. Anno 1523. stipem mendicans, & pane & aqua vitam tolerans, & sub dio ferè humi cubans: sicque Romam tandem pervenit, sacrae urbis loca obivit benedictionem quae summi Pontificis reverenter accepit. Inde capto jam ante Hierosolymas navigandi, sanctumque Salvatoris Sepulchrum visitandi consilio, Venetias venit: ubi dum moraretur, navigandi commoditatem expectans, in platea nudus quidem vestibus & algens, sed preciosissimis virtutibus ornatus, & ardentissimo Dei amore flagrans, noctes agebat: adeo ut ex Senatorio ordine quidam Marcus Antonius Trivisanus nomine, ad Ducalem postea dignitatem evectus, noctu domi suae quum esset, excitari se repente hujusmodi vocibus senserit: *Tunc ferre potes, ut mollibus vestitus domi tua sis, & servus*

(a) Gen. 26.